

OBSERVATIONVM METEOROLOGICARVM,  
AB ANNO 1726 VSQVE IN FINEM ANNI 1736  
FACTARVM, COMPARATIO.

PRAELECTIO SECVNDA.

AVCTORE

*Georgio Wolffg. Krafft.*

§. I.

Tabula XV.

Cum in observationibus de calore et frigore annorum praeteritorum institutis adhibita fuerint fere semper Thermometra Florentina, quorum vitia abunde nota sunt hodie: nihil fere in illis est, quod ad usum aliquem applicari possit. Ab anno autem 1736 adhibui Thermometrum mercurio repletum, cuius diuisio incipit descendendo ab eo puncto, quod mercurius, aquae feruenti imposito Instrumento, attingit, et quod diuisione a Clariss. *Del' Isle* adhibita adornatum est, per quam nempe indicatur, quam sui parte mercurius aqua feruente dilatatus quouis tempore se contraxerit. Ope huius Thermometri igitur obseruavi anni, 1736 maximum calorem fuisse d. 1. Iulii in meridie, quo tonitrua audiebantur, notante nimirum instrumento gradus 1083; maximum vero frigus fuisse d. 8. Februarii, sub gradibus 1700, in perfecta serenitate aliquot dierum. Volumen igitur mercurii aqua feruida extensum contractum fuit 1 Iulii partibus  $\frac{1083}{100000}$ , sed 8 Febr. partibus  $\frac{1700}{100000}$ . Reliquorum annorum praecedentium dies maxime calidi et maxime frigidi, Thermometris Florentinis aestimati, fuerunt illi, quos sequens Tabella indicat.

*Annus*